

269

267

273

molendum frumentum. Et ita aedificio peracto, suos reduxerunt  
captivos.

263

Sed et Veneti non multo affectu Rhodios prosequuntur: est  
enim insula illa eis spina in oculis et lancea in lateribus, ideo  
ipsis militibus fide et gratia ac religione clarissimis, christianam  
fidem professionis voto ingenti virtute tutantibus addita sunt eis  
per pontifices et alios orthodoxae fidei principes Templariorum  
bona; postmodum etiam beati patris Augustini regulam profitentes,  
a summis pontificibus maximis privilegiis et ecclesiasticis benefi-  
ciis prosecuti sunt, et quanto feliciores fiebant et crescebant,  
tanto magis invidorum eos zelus rodebat, unde factum est,  
ut sentirent inimicos tam ex christianis quam ex paganis. Hoc  
enim paulo ante aetatem nostram (apparuit): cum Soldanus domi-  
nus Aegypti toto quinquennio armata classe [eos] vexasset, multo  
majora pertulit quam intulerat damna confususque obsidionem solvit.

278

258

318

218

368

168

Turci etiam quatuor vicibus diversis temporibus eorum agros  
invaserunt et civitatem oppugnaverunt et tamen non victoram,  
sed maximam cladem reportaverunt. Causa vero, quare Turci ins-  
ulae illi tam infesti sunt, est illa, quia ab antiquo pertinet ad  
imperium constantinopolitanum, quod idem Turcus magnus sibi  
subjugasset, et omnia illius imperii. Venerunt ad eum Johannitae  
petentes manere in possessione insulae. Turcus autem certum  
tributum annum eis imposuit et eos in insula manere permisit,  
sed quia non solverant, eos manu armata aliquotiens est aggressus,  
sed non profecit. Haec recitat mihi quidam cliens Rhodiensis.  
Per XXIV annos continuos excogitaverunt mille modos, qualiter  
hanc insulam subjecerent aut tributariam haberent, aut amicam,  
sed Domino auxiliante nihil proficere usque ad hanc horam potuerunt. Novissime autem anno Domini 1480, eo scilicet anno,  
quo in ilinere primae meae evagationis constitutus eram, Machu-  
metus Othomanus Turcorum bellicosissimus princeps, duobus jam  
imperiis adeptis et XII regnis subactis multisque potentatibus  
devictis, adorsus est quoque hanc Rhodiam civitatem sibi vindicare,  
et Rhodiorum militum delere nomen si posset, omnino desti-  
nabat, quapropter ingenti exercitu comparato et centum velorum  
classe instructa, Bassam quandam graeculum, virum in armis exer-  
citatissimum, ex nobili Palaeologorum familia natum, expeditioni  
praefecit, qui cum centum millibus armatorum et XVI ingentibus

Ende

Anfang

